



## **Regale Sacerdotium Romano Pontifici Assertum**

**Sfondrati, Celestino**

**[Sankt Gallen], 1684**

§. V. Hæreticos ad veram Religionem non propterea faciliùs converti, quòd  
Catholici eorum postulatis acquiescant, eorùmque doctrinæ propiùs  
accedant.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63125](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63125)

III. Hinc Apostolica potestatis usum moderandum per Canones Spiritu DEI conditos, & totius mundi reverentiâ consecratos. Valere etiam Regulas, mores & instituta à Regno & Ecclesia Gallicana recepta, Patrumque terminos manere inconcussos, atque id pertinere ad Apostolica Sedis amplitudinem, ut statuta, & consuetudines tantæ Sedis, & Ecclesiarum consensione firmata propriam stabilitatem obtineant.

IV. In fidei quoque questionibus præcipuas summi Pontificis esse partes, ejusque decreta ad omnes & singulas Ecclesias pertinere, nec tamen irreformabile esse judicium; nisi Ecclesia consensus accesserit.

V. Quæ accepta à Patribus ad omnes Ecclesias Gallicanas, atque Episcopos mittenda decrevimus, ut id ipsum dicamus omnes, simusque in eodem sensu, in eadem sententia.




## §. V.

*Hereticos ad veram Religionem non propterea facilius converti, quod Catholici eorum postulatis acquiescant, eorumque Doctrina propius accedant.*

## Summaria.

1. Minutâ Pontificis Auctoritate non propterea Hæreticum facilius converti.
2. Immo ex conniventia insolescere.
3. Ipsos verò Catholicos oppugnato Capite turbari, ex sententia D. Cypriani.



## I.

**R**æfigitur Declarationi Parisiensi honestissimus titulus, juvandi videlicet Hæreticorum conversionem, quos circumscriptâ Pontificis auctoritate, quam maxime averfantur, sperari potest ad unionem reversuros. Exercent Galli, quam solent urbanitatem, dum amarissimo populo saccarum oblinunt, & sanguinem hausturi inter florum illecebras ferrum abscondunt, dolorumque officiis compensant. Hæretici à Papa non magis, quam Conciliis abhor-



abhorrent; & cum ista tot capitibus consent, ac difficillimè conveniant, & quàm plurima, ut sint legitima, requirantur, exceptionibus longè pluribus patent. Si Hæretici Concilia audirent, nunquam Arianos, Pelagianos, Calvinistas haberemus, jam dudum à Conciliis damnatos. Quantò magis auctoritatem Pontifici detraxeris, tantò magis contemnent, & quod hactenus suo more, deinceps Catholicorum etiam exemplo facient. Si Magnates, aut Ministros Reformatæ Religionis spectes, illi, aut ambitione, aut libertate, aut aliis affectibus tenentur, ut veræ Religioni non accedant, & idè non minuto tantum, sed nec etiam sublato Pontificatu errorem deserent. Si minores, & plebem accipias, parùm istius interest Papæ, Concilio, an aliis obediant; cum alicui necessariò subsint: non ergo Papæ Imperium, & potestas errandi causa est, sed prætextus, quem si auferas, alii non deerunt. Hæreticorum genius insolens, & superbus conniventia non tam mollescit, quàm duratur in pejus, & tigrinum more cantu efferatur.

II. Fallitur, qui credit hostem concessis expleri; unum adeptus aliud exiget obtentis insolentior: & si Historiam percurras, rarò invenies hanc conniventia aliquid profectum.

Georgius Bohemiæ Rex à Pio II. Communionem sub utraq; Specie pro Bohemis impetrarat, si hoc concederetur, ad Catholicam unionem revertetur; Idem à Concilio Basileensi exoratum, sed tantum abfuit beneficio illos proficere, ut impudenter potiùs jactarent: *Papistas suum errorem hac in re passos, spemq; allucere, ut alios equè errores emendarent*: quæ causa fuit, ut quamvis Ferdinandus Cæsar à PP. Concilii Tridentini Communionem sub utraq; specie ardentissimè urgeret, allegatâ Conversionis certissimâ spe, si gratia fieret; si negaretur, periculo, ne jam Catholici ad Hæreticos deficerent: nunquam tamen obtinere potuit, quòd Patres responderent, *satis experientia constare, Hæreticos beneficiis obstinari, ab utique, & quidquid cederetur, Victoriam suam arbitrari, non piam Ecclesia conniventiam.* (a)

Eodem modo cum peterent Arianum nomen *homousii* aboleri: Nestorianum nomen Deiparæ: Græci, ne symbolo adderetur: *Qui ex Patre, Filioq; procedit*, quòd dicerent, *hanc verborum novitate Ecclesiam hactenus abstinnisse, illisq; vocabulis non satis à populo intellectis turbari alios, alios irritari, paratos se credere, quòd Ecclesia credit, parumq; Religionis interesse*

M

verba

(a) Vide Palavicinum in Historia Concilii I, 18. cap. 4.



*verbamutari, re illasâ.* Nunquam tamen ad has Hæreticorum blanditias permoveri Concilia poterant; cum scirent esse principium fugæ hostibus cedere.

III. Nec magis hac declaratione Catholicis consultum credimus: si quæ enim inter Catholicos de Religione dubitatio surgat, habent in Romano Pontifice judicem erroris expertem, & infallibilem, cui omnes & meritò acquiescunt; jam hæc ipsâ infallibilitate decidendi Papæ ademptâ, & in Concilium translata, quem rogo Judicem adibunt, qui lites dirimat? nam si ad Concilium differantur, erunt utique immortales: imitari ergo Judices Arcopagi oportebit, qui difficili implexâque lite productâ, partes jubebant post centum annos iudicio sisti, accepturas nimirum à morte sententiam. Vicerunt Jansenistæ, si Concilium expectatur, & Innocentius, Alexander, Clemens Pontifices Maximi errare potuerunt. Verissimè scribit B. Cyprianus *Epist. 55. ad Cornel.* *Non aliunde hereses sunt exorta, & nata schismata, quam quòd Sacerdos DEI non obtemperatur, nec unus in Ecclesia DEI Sacerdos, & Index Vice Christi cogitatur.*

Est illud memoriâ dignum, quod tempore Justiniani Imp. & Vigili Papæ contigit. Persuaserat Theodorus Episcopus Justiniano, fore, ut Acephali hæretici (qui Chalcedonensi Concilio ibique decretis repugnabant,) ad sinum Ecclesiæ redirent, modò contra ejusdem Concilii præscripta, Theodorus Mopsuestenus, Ibas Edessenus, & Theodoretus Cyni Episcopi damnarentur Nestorianæ hæresis suspecti, & à Patribus Chalcedonensibus veniâ donati: æquum non esse tribus Episcopis, quorum hæresis in aprico erat, veniam datam, toti Ecclesiæ fraudi & periculo esse, quin potius sapientem ducem, bellique imperatorem omnium pacem, certamque victoriam, paucorum clâde mercari. Vicit Imperatorem lucrandi hæreticos componendâque amor Ecclesiæ, affixoque edicto, Episcoporum, quos Concilium Chalcedonense absolverat, memoriam damnavit: sed quo eventu? in Catholicos, qui pro Chalcedonensi synodo stabant, ingens, diuturna, crudelisque persecutio orta; Episcopis, qui edicto non parebant in exilium raptis. Hæretici verò insolentiùs Concilio, & Patribus illudere, quos dicerent, vel ipsâ confessione Catho-



corum erasse, & ab Imperatore correctos: ergo & Catholici turbati, nec Hæretici ad fidem conversi, immo recenti victoriâ implacabiles facti. (a) Eâdem ratione eodémque eventu Zeno Imperator *Henoticum* seu Decretum unionis: *Constantinum*: Carolus V. constitutionem *Interim* vocatam, eo prætextu, ut omnes Christiani in unam eandémque fidem convenirent, ediderunt; nullo tamen alio effectu, quam ut ipsi Catholici inter se concurrerent, fluctuarentque; hæretici verò discordibus insultarent, eorúmque pugnas suis victoriis adderent. (b) Ergo nullibi, quàm in materia Religionis verius est Politici monitum: *Mediam viam pessimam esse, quæ nec amicos parat, nec inimicos tollit.*

§. VI.

*Calvinistis & Lutheranis non favere Propositiones Parisienses, quò causam suam meliorem faciant, Catholicorum verò pejorem reddant.*

Summaria.

1. Propositiones Parisienses non tantum Calvinistis non favere, sed plurimum adversari.
2. Semper in Ecclesia, ante ultimam definitionem de variis dogmatibus contentiones fuisse.
3. Salvâ tamen fidei unitate, ac integritate.
4. Secus apud Calvinistas, aliosq; Reformatos, quibus, cum nulla sit certa & indubitata credendi Regula, omnia incerta & dubia sunt, & consequenter nulla fides divina.
5. Quod luculento exemplo probatur.

M 2

I. Hoc

(a) Vide Baron. ad annum DLIII. & ibi Leontium de sect. act. 6. & 7. quem citat Damascenus lib. 3. cap. 3. cap. 11. de vide Orthodoxâ.

(b) Vide P. Maymb. in historia Lutheranismi lib. 5. fol. 192.